

repentino casu, in quo rei necessitas exigit reperitum egressum: tunc enim etiam pro monialibus regularibus subjectis præter facultatem prælati regularis, episcopi licentia in scriptis requiritur. Bulla S. Pii V. incip. *Decor et honestati*.

(109. Casus repentini indicantur in eadem Bulla, magnum incendium, infirmitas lepræ, ac epidemiam, sive pestis. *De syn. diac.*, l. ix, c. 15, nov. edit. Non licet autem absque facultate Sedis Apostolicæ egressum hunc permittere, etiamsi possent occurrere casus alii, qui videantur æquipollere iis quos S. Pius V in sua constitutione expressit, ut si ex. gr. sit aliqua monialis, ex qua prudenter timeri possit periculum scandalæ ac perversionis aliarum. *Ibid.*

(110. Ingressus in monasteria monialium, quæ regularibus subduntur, fieri debet de licentia episcopi, nulla obstante consuetudine in contrarium, ut post diligens examen decretum est, approbante Urbano VIII *De synodo diac.*, lib. xiii, cap. 12, § 23, nov. edit., in quo etiam decreto statuitur, licentias moniales illas alloquendi petendas esse ab episcopo, non vero a superiore regulari.

(111. Quoad censuras, seu pœnas in casibus occultis etiam violatæ clausuræ, vel in dispensando aliquo occulto defectu, major Pœnitentiarius confessarium monialibus concedit. In casibus publicis clausuræ a monialibus, vel ab aliis quibuscunque ad malum finem delinquentibus non absolvit, nisi prius ordinarius supplicarit, et casus a congregatione super Episcop. et Regul. ad Pœnitentiarium delatus fuerit. Bulla *Pastor bonus*, § 37, 38, de qua sup., n. 107.

(112. Alia ad rem, vide verb. VISITATIO, n. 10.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(113. Libet paucis disserere de Ecclesiæ disciplina circa clausuram monialium.

(114. Prior Bonifacius VIII in notissimo cap. *Periculoso*, De stat. regul., in 6, generalem clausuræ legem monialibus observandam præcepit; nam antea, si quæ erant moniales clausuræ legibus obnoxie, consuetudine potius particulari, quam lege generali obligabantur, ut post Thiers, *De clausura*, notavit Benedictus XIV, *Instit. eccles.*, 29, n. 13.

(115. At non obstante hac generali lege clausuræ a Bonifacio VIII monialibus omnibus injuncta, multa tamen monasteria ei sese hæud subjecere. (116. Tantumque abest, ut Ecclesia ante S. Pium V de iis abolendis cogitaverit, ut Leo X omnia ipsis concesserit privilegia ordinis, quem profitebantur, modo virginitatem servarent, ut perspicuum est ex constitutione 22 ejusdem.

(117. S. Pius V mox commemoratus prior cogitavit, et quidem serio de abolendis monasteriis hisce clausuræ legibus hæud obnoxii, in constitutione 8. In ea enim jussit, ut episcopi cum superioribus regularibus ad clausuram redigerent monasteria omnia, et si qua essent monasteria, quæ amplecti clausuram nollent, iis prohibuit, quominus

ullas in futurum moniales, reciperent, ut patet ex sequentibus verbis ejusd. const. § 3: « Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausuræ vivere omnino volentibus interdiximus, et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem congregationemve recipiant. Quod si contra hanc hujusmodi nostram prohibitionem, et decretum alias recipiant, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus. »

(118. Reque ipsa una omnium fuit semper sententia, abolevisse S. Pium V hæc sine clausura monasteria. Lezana, in *Summ., quest. regular.*, tom. II, c. 14, n. 38; Rotar., *Theolog. regular.* t. III, c. 6, n. 13, et Benedictus XIV, *Instit. eccles.* 105, § 2, n. 75.

(119. Nihilominus plura remansere monasteria, quæ quamvis clausuræ legi se hæud subjecissent, alias tamen receperunt, et recipiunt etiamnum.

(120. Non destitit autem Ecclesia semper ac occasione habuit disserendo de hisce monasteriis sine clausura, declarare, quod ea tolerabat, non autem approbabat. (121. Nec certe potest ipsa approbare, nisi supra allegata constitutio 8 S. Pii V abrogetur, nam ad tramites hujus constitutionis « si hodie reperiantur, ut inquit Rotarius loco mox citato, tertiariæ collegialiter viventes, debent impediri, supprimi et annullari, nisi professionem emittant cum quarto voto perpetuæ clausuræ. »

(122. Ex hoc autem quod monasteria hæc sine clausura ab ecclesia tolerantur duntaxat, nequaquam vero approbantur, manavit, ut ea non amplius reputentur pro locis religiosorum, adeoque non gaudeant exemptione illa a jurisdictione episcopi, qua gaudent ordinis, quos [qui clausuram] profitentur.

(123. Ita primum definitum fuit a S. congregatione Episcoporum et Regularium negotiis præposita generalibus decretis anno 1616 publicatis, ut patet ex § 3 eorumdem.

(124. Et ita in casibus particularibus rescripserunt sac. congregationes, ut eas laudando, et sequendo tradunt card. Petra in *Commentar. ad constit. Apostolic.*, constit. 15 Martini V, n. 20 et sequent.; Nicol., in *Floscul.*, verb. *Clausura*, n. 38; Piasec., in *Prax. episcop.*, part. n, c. 3, art. 7, num. 13; Matthæuc., in *Official. curiæ*, c. 52, n. 6; Benedict. XIV, *Instit. eccles.*, 29, n. 13, et rursus *Instit. eccles.*, 105, § 2, num. 75, et duob. sequent.

(125. Hæc Ecclesiæ disciplina invariata mansit usque ad s. m. Benedictum XIII. At hic in constitutione, cui initium est: *Paternæ*, denuo hæc monasteria sine clausura subjecit superioribus regularibus ipsorum, exemtitque a jurisdictione episcoporum.

(126. At placuit Clementi XII anno 1732 in constitutione, quæ incipit *Romanus*, revocare constitutionem illam Benedicti XIII. Quam constitutionem Clementis XII ob oculos habens Benedictus XIV. « Cum hæc ita se habeant, inquit, *Instit. eccl.*, 105, § 2, n. 76 et sequent., res tota ad eos limites restituenda est, quibus ante Benedictum XIII

concludebatur, et quos antea recensuimus. Itaque redditur episcopo pristina auctoritas, quam in has Tertiarias exercebat. »

(127. Reque ipsa, consentanee ad mox dictam constitutionem Clementis XII, novissime sac. congregatio Episcoporum et Regularium negotiis præfecta in *Constantien.* 14 Decembris 1759, ordinario subjectum declaravit monasterium sine clausura, oppidi Ravenspurgensis, tametsi profiteretur ipsum tertium ordinem divi Francisci.

ARTICULUS IV.

*Moniales quoad ea quæ concernunt accessum ad earum monasteria, et locutionem cum eis.*

SUMMARIUM.

1. Accessus ad monasteria monialium sine rationabili causa est omnibus prohibitus. — 2. Constitutio Bonifacii VIII in cap. *Periculoso*, fuit innovata a concil. Trid. et a S. Pio V. — 3. Accessus ad monasteria monialium non sumitur materialiter, sed formaliter pro aditu, et accessu ad illas alloquendas. — 4. Accedentes ad moniales sine rationabili causa, et legitima facultate, sive sint sæculares, sive ecclesiastici, ordinariè peccant mortaliter. — 5. Accessus ad moniales potest ab ordinariis fieri casus reservatus. — 6. Imo potest ab ipsis prohiberi sub pœna excommunicationis lata sententiæ. — 7. Notanter dicitur, quod peccant mortaliter ordinariè, ad denotandum, quod si accedant tantum semel, aut iterum sine scandalo, aut turpi fine, et absque contemptu Superiorum, peccant solum venialiter. — 8. Patres, et matres monialium possunt eas licite alloqui sine licentia, non tamen diebus prohibitis. — 9. Item etiam filii monialium possunt proprias matres licite alloqui sine licentia. — 10. Item fratres et sorores sæculares possunt sine licentia diebus non prohibitis alloqui suas sorores moniales. — 11. Prohibitio alloquendi moniales non solet comprehendere conjunctos in primo, vel secundo gradu. — 12. Regulares autem nunquam possunt moniales sibi conjunctas, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine ordinarij licentia. — 13. Imo episcopus non potest concedere regularibus licentiam alloquendi moniales, aut alias intra clausuram degentes, nisi sint eis conjunctæ in primo, vel secundo gradu, et quater tantum in anno cum quibusdam conditionibus necessario servandis. — 14. Adducitur ad id decretum ejusdem sacre congregationis Epis. jussu Sixti V editum. — 15. Adducitur aliud decretum ejusdem sacre congregationis jussu Urbani VIII editum. Vide tamen infra n. 19 ubi videtur permissum episcopis, ut talem licentiam regularibus concedere possint. — 16. Regulares absque legitima facultate alloquentes moniales, aut alias intra clausuram degentes etiam ab episcopi jurisdictione exemptas, et ipsis regularibus subjectas, peccant mortaliter, quamvis alloquantur per quocunque modicum tempus, et transgressores possunt ab ordinario coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque pœnis. — 17. Adducitur ad id decret. sac. cong. Concil. a Clement. IX approbatum, et ejus jussu promulgatum. — 18. Regulares sine legitima licentia alloquentes moniales, seu alias intra clausuram degentes, peccant mortaliter, etiam si alloquantur ob bonum finem. — 19. Adducitur ad id decretum sac. cong. Concilii. — 20. Regulares missi ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo, peccant mortaliter, et incurrunt censuras, et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum, immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus immisceant sermones cum questionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis. — 21. Adducitur ad id decretum

sacr. cong. Concilii. — 22. Superiores regulares, et confessarii monialium non egent licentia ordinarij ad alloquendas moniales sue curæ commissas. — 23. Adducuntur ad id decreta sac. cong. Episc. et Reg. — 24. Et hæc procedunt, tam de superiore provinciali, quam locali, cui cura monasterii incumbit. — 25. Quid de vicario conventus? — 26. Regulares in Gallia, ubi moniales clausuram non observant, si eas alloquantur extra claustra, non incurrunt pœnas. — 27. Sub decretis, quibus prohibetur regularibus accessus ad moniales, comprehenduntur etiam equites Melitenses. — 28. Unde episcopus potest procedere contra ipsos, si accedant ad monasteria monialium sine legitima facultate. — 29. Episcopus potest imponere censuras, aliasque pœnas non solum contra regulares, sed etiam contra omnes clericos, et sæculares accedentes sine legitima facultate ad moniales. — 30. Episcopus potest imponere excommunicationem lata sententiæ, et sibi reservatam, non solum contra quoscunque accedentes ad moniales, sed etiam contra moniales ipsas alloquentes cum illis, etiam pro monasteriis exemptis. — 31. Decreta interdicens alloquendum cum monialibus comprehendunt etiam abbatissam. — 32. Subcollectores accedentes ad moniales sine legitima licentia incurrunt easdem pœnas. — 33. Judices non possunt sine legitima licentia accedere ad colloquendum monialium ad interponendum decretum in contractu puellæ sæcularis existentis in monasterio. — 34. Episcopi, alique prælati extra suam diocesim non possunt licite accedere ad moniales sine licentia ordinarij loci, et superioris illarum. — 35. Canonici cathedralis, et capituli exempti accedentes ad moniales sine legitima facultate incurrunt censuras, et pœnas. — 36. Peregrini et advenæ, si sine licentia loquantur cum monialibus, incurrunt censuras et pœnas. — 37. Pauperes ostiatim mendicantes, si accedant sine expressa licentia ad moniales causa querendi elemosynam, secluso dolo et scandalo, non incurrunt dictas censuras et pœnas. — 38. Sic etiam dictas censuras et pœnas non incurrunt famuli et famulæ sine expressa licentia deferentes munuscula ad moniales jussu suorum dominorum, seu dominarum, dummodo id faciant sine dolo et scandalo. — 39. Non debet permitti magistris accessus ad monasteria ad effectum instruendi moniales in sono et cantu, nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. — 40. Non debet permitti Hebræis accessus ad moniales. — 41. Moniales regularibus subjectæ alloquentes cum regularibus, etiam ejusdem ordinis, licentiam legitimam non habentibus, incurrunt censuras, et pœnas a conciliis provincialibus, vel edictis episcopalibus appositas. — 42. Regulares inventi alloquentes moniales absque legitima facultate possunt ab episcopo pœna carceris puniri. — 43. Loquentes cum moniali de domo propinqua, aut via publica sita prope monasterium probabiliter incurrunt censuras et pœnas. — 44. Item dictas pœnas, et censuras incurrunt loquens cum moniali per nutus, et signa. — 45. Item dictas censuras et pœnas incurrunt, qui per interpositam personam loquuntur in præsentia monialis audientis, et per eandem respondentis. — 46. Item dictas censuras et pœnas incurrunt, qui loquuntur cum moniali audiente, sed non respondente. — 47. Item dictas censuras et pœnas incurrunt, qui contra legem municipalem, seu diocesanam id prohibentem litteras scribit ad moniales; secus autem est dicendum pro illis diocesibus, ubi non adest talis particularis prohibitio. — 48. Item dictas censuras et pœnas incurrunt, qui sine legitima licentia contra legem municipalem, et diocesanam loquuntur cum novitiis, aliisque feminis intra clausuram degentibus. — 49. Regulares sine legitima licentia loquentes cum prædictis, etiam præscindendo a statuto synodali, aut edicto episcopi, incurrunt pœnas latis a sacra congregatione, et a Summo Pontifice. — 50. Licentiam concedere pro

alloquendis monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus, pro monasteriis episcopo, vel Sedi Apostolicæ subjectis ad quem spectet? *remissive*. — 51. Licentiam concedere pro monasteriis exemptis, et regularibus subjectis ad quem spectet? *remissive*. — 52. Talem licentiam concedere non competit regularibus private quoad ordinarios. — 53. Ubi licentia datur ab episcopo, vel ejus vicario, et superiore regulari, non licet isti talem licentiam alterare, aliquid addendo, vel adimendo. — 54. Talis licentia pro monasteriis in civitate existentibus debet primo loco subscribi ab episcopo, seu ejus vicario, et postea a superiore regulari. Pro monasteriis autem in diocesi existentibus debent priori loco subscribi a superiore regulari, et postea a deputato ab episcopo. — 55. Edicta vero, quibus personis sæcularibus ad eadem monasteria monialium prohibetur accessus, subscribenda et publicanda sunt a solo episcopo private quoad superiores regulares. — 56. Regulares pro alloquendis monialibus etiam sibi subjectis in casibus permissis indigent licentia episcopi loci et superioris regularis. — 57. Regulares confessarii et superiores, sive visitatores, si alloquantur moniales extra præcisam officii sui necessitatem, incidunt in pœnas privationis officiorum, vocisque activæ et passivæ; licet non alloquantur ad malum finem; nec possunt rehabilitari per suos superiores. — 58. Habens licentiam loquendi cum una determinata moniali non potest loqui, nisi cum illa persona, quæ in licentia nominatur. — 60. Unde licentia concessa uni regul. non extenditur ad socium. — 61. Alia notabil. ad rem ad n. 66. — 67. Subnect. *Addit. ex alien. man.* ad n. 74. \* Appendix edit. Casin. \*

(1. Accessus ad monasteria monialium sine rationabili causa est prohibitus omnibus, sive laicis, sive clericis, cap. *Monasteria* 8, De vita et honestate clericorum, ibi: « Monasteria sanctimonialium si quis clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumperit, per episcopum arceatur, et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis (id est suspendatur): et si laici, excommunicationi subdantur, et a cœtu fidelium fiant penitus alieni; » et cap. *Periculoso*, unic. De statu regular., in 6. ibi: « Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem. »

(2. Et talis constitutio Bonifacii VIII in d. cap. *Periculoso*, fuit innovata a concilio Tridentino sess. 23, De regular. et monial., cap. 5: ibi: « Bonifacii VIII constitutionem, quæ incipit *Periculoso*, renovans sancta synodus, etc., et a S. Pio V. In constitut. incip. *Circa pastoralis officii*, ibi: « Quam nos auctoritate Apostolica etiam approbamus, et innovamus in omnibus, et per omnia, ac illam districte observari mandamus. »

(3. Accessus ad monasteria monialium non sumitur materialiter, id est intelligitur, et sumitur aditus, non quidem simpliciter ad monasteria monialium materialiter, seu pro muris, et parietibus sumpta, sed aditus, et accessus ad ipsas moniales causa illas visitandi, aut alloquendi, ac proinde in citatis juribus non prohibetur accessus ad earum ecclesias, sed ad illarum colloquia et aspectum, sine rationabili causa, et legitima fa-

cultate, quod satis clare patet ex cit. cap. *Periculoso*, dum ibi loco monasterii dicitur ad easdem, scilicet moniales; ibi: « Nulli... accessus pateat ad easdem. » Sic Suarez, tom. IV *De relig.*, trac. 8, lib. 1, cap. 10, n. 24; Sanchez, l. vi *Moral.*, cap. 16, n. 112; Rodriq., tom. 1, q. 43, art. 2, § *Advertendum*; Bonacina, *De clausura*, quæst. 3, punc. 1, num. 1 et 2; Pellizar., *De monialib.*, cap. 5, sect. 5, n. 195; Donat., *Præx. rer. regular.* tom. IV, tract. 6, n. 1 et 2, et alii passim.

(4. Accedentes ad moniales sine rationabili causa, et legitima facultate, sive sint sæculares, sive ecclesiastici, ordinarie peccant mortaliter. Rodriq. l. c., art. 4; Miranda, *De monialib.*, quæst. 4, art. 1; Bonacina, *loc. cit.*, pag. 3, n. 1; Pellizar., *loc. cit.*, n. 199; D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium*, c. 7, § 10, quæst. 2; Suarez, tom. IV, *De relig.*, tract. 3, l. 1, cap. 10, n. 27; Tamburini., *De jure abbatissar.*, disp. 25, quæst. 5, in principio, et alii. De ratione enim legis est, ut in materia gravi obliget sub mortali, ut tradunt communiter doctores in materia de legibus. Constat autem quod lex prohibens accessum ad moniales ex genere suo est de re gravi, ut colligitur ex gravitate finis in ea intenti. (5. Unde accessus ad moniales potest ab ordinario fieri casus reservatus, ut decrevit sac. congreg. Episc. et Regul. in *Bononiens.* 26 Octobris 1604. (6. Imo potest ab ipsis prohiberi sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ, ut decrevit sac. congregat. Concilii in *Viterbien.* 26 Junii 1627, et sac. congregat. Episcop. in *Urbinate.* 10 Maii 1663, et in *una Civitatis Castellæ* 16 Januarii et 10 Julii 1699.

(7. Notanter autem dicitur quod peccant mortaliter ordinarie, quia ordinarie accedentes ad moniales sine rationabili causa et legitima facultate, solent accedere cum scandalo, seu turpi fine, aut contemptu superiorum; at vero, si accedant tantum semel aut iterum, seclusis dietis circumstantiis, peccant solum venialiter, ut docent Sanchez in *Summa*, lib. vi, cap. 119; Lezana, tom. 1, c. 25, n. 36; Sanctorus, in *Constit. Min.*, cap. 11, statut. 7, quæst. 1; Navarrus, Lamaz, Rodericus, et alii plures.

(8. Patres et matres monialium possunt eas licite alloqui sine licentia, non tamen diebus prohibitis. Sacra congreg. Episc. et Regul. 15 Januar. 1616, apud Gavant. in *Manual. episc.*, verb. *Monialium collatio*, n. 7.

(9. Item etiam filii monialium possunt proprias matres licite alloqui sine licentia. Ead. sac. congreg. Episc. 15 Martii 1619. Apud eundem, *ibid.*, n. 8.

(10. Item fratres et sorores sæculares possunt sine licentia diebus non prohibitis alloqui suas sorores moniales. Ead. sac. congreg. 20 Septemb. 1593. Apud eminentiss. Bellarmin. in suis *Declarationibus ad decreta S. Conc. Trid.*, sess. xxv, cap. 5, *De regularib. et monial.*, ibi: « E che li padri, e madri, fratelli e sorelle carnali, fuori però della Quaresima, e dell'Avvento, e dei giorni, che le monache si communicheranno,

possano senz'altra licenza parlare con le loro figlie, e sorelle una volta la settimana solamente. »

(11. Unde advertendum est quod prohibitio alloquendi moniales non solet comprehendere sæculares conjunctos in primo, vel secundo gradu, ut decrevit ead. sacra congregat. in *Perusina* 18 Januar. 1618, et in *Monopolitana* 6 Maii. Excepto casu, in quo ex constitutionibus monasterii, vel speciali decreto episcopi prohibentur etiam conjuncti in primo, vel secundo gradu moniales alloqui, sine licentia, quæ tamen, nisi aliud obstet, concedi debet ad annum pro alloquendis monialibus sibi conjunctis semel in mense. Ead. sacra congreg. in *Verulana* 10 Febr. 1599.

(12. Regulares autem nunquam possunt moniales sibi conjunctas, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine ordinarii licentia. Sac. cong. Episc. et Regul. 12 Kalend. Decemb. 1623, et 6 Nov. 1648, 23 Jul. 1649. (13. Imo episcopus non potest concedere regularibus licentiam alloquendi moniales, aut alias intra clausuram degentes, nisi sint ejus conjunctæ in primo, vel secundo gradu; et quater tantum in anno, pro die, et hora certa, et extra Adventum, et Quadragesimam, feriam sextam, Sabbatum, vigiliis, et dies festos; quæ licentia subscribi debet etiam a superiore regulari pro monialibus sub regularium gubernio existentibus, item registrari, et confessario consignari qui assistat cum auscultatricibus. Ita expresse sac. cong. Episc., jussu Urbani VIII, xii Kalend. Decemb. 1623. In decreto reformativo alterius decreti jussu Sixti V editi, ubi prohibebatur regularibus moniales alloqui sine expressa licentia ejusdem sacre congregationis, quæ decreta, ut ab omnibus commode legi possint, hic ad litteram dantur.

(14. *Decretum sacre congregationis Episc. et Regul. super accessu regularium ad monasteria monialium jussu Sixti V editum Nonis Maii 1590.*

« Illustrissimi et reverendissimi DD. cardinales sacre regularium congregationis præfecti, ad occurrendum scandalis, quæ contingere possunt, aliisque justis et rationabilibus causis animum ipsorum moventibus, de speciali, et expresso mandato S. D. N. Sixti divina Providentia Papæ V, vivæ vocis oraculo eis facto decreverunt, et mandaverunt, nulli posthac religioso cujuscunque ordinis, qualitatis et dignitatis existat (Superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit visitatore, vel visitatoribus, confessarioque ordinario et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) licere absque licentia expressa ejusdem sacre congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcunque monialium, vel sororum, sive sui, sive alterius cujuscunque ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando mandato sui superioris aliquos religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium seu sororum ecclesiis,

sive oratoriis exterioribus, sive extra clausuram existentibus, mitti contigerit, prohibuerunt, ne dicti religiosi, ullo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes, alloqui possint.

« Quæ omnia, et singula sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ et passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem congregationis arbitrio, præceperunt inviolabiliter observari. »

(15. *Decretum ejusdem sac. congreg. Episc. et Regul. jussu Urbani VIII editum xii Kal. Dec. 1623, quo illud Sixti V jussu editum moderatur.*

« Cum alias de anno 1590, per sacram cardinalium negotiis Regularium Præfectorum congregationem de mandato fel. rec. Sixti Papæ V, circa accessum regularium cujuscunque ordinis ad monialium monasteria fuerit decretum, quod nulli religioso cujuscunque ordinis, gradus, qualitatis et dignitatis existat (superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, confessarioque ordinario et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressa ejusdem sacre congregationis accedere ad monasteria, seu domus quarumcunque monialium, vel sororum, sive sui, sive alterius cujuscunque ordinis ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quod si aliquando, mandato sui superioris, aliquos religiosos ad prædicandum verbum Dei, vel ad celebrandas missas in ipsarum monialium, seu sororum ecclesiis, sive oratoriis exterioribus, sive extra claustra existentibus, mitti contigerit, ne dicti religiosi ullo quæsito colore, moniales, sorores, aut quamlibet aliam personam intra clausuram degentes alloqui possint, sub pœna privationis officiorum, ac vocis activæ et passivæ ipso facto incurrendis, aliisque ejusdem sacre congregationis arbitrio, fueritque postmodum declaratum, etiam equites S. Joannis Hierosolymitani sub eodem decreto comprehendendi, et quoscunque contrafacientes, ab alio quam ab Apostolica Sede, aut a sac. congr. absolvi, et rehabilitari non posse; amplissimi ejusdem sacre congregationis Patres decreta hujusmodi innovanda, et inviolabiliter observanda statuerunt. Verum, quia experientia compertum est, interdum obvias et rationabiles causas, easque (ita ferente casu) repentinas, ut ab eadem sacra congregatione licentiam expectari summe incommodum, vel inutile sit, regularibus supradictis colloquendi cum monialibus sibi attinentibus, necessitatem obvenire, facto verbo cum sanctiss. dom. nostro Urbano VIII et de Sanctis. suæ expresso ordine et mandato, facultatem tribuerunt in posterum locorum ordinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno, cuicunque regulari, ut moniales sibi in primo, et secundo tantum consanguinitatis gradu conjunctas conve-

nire, et alloqui possit. Id vero non aliter, quam servata forma infrascripta ad unguem, ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato et vigiliis; prædictaque licentia obtenta ab ordinario, et ab alio, ad quem spectet eam concedere, assignetur confessorio ordinario monasterii, qui penes se retinere debeat; isque associet et præsens sit, et auscultatrices de more, non autem aliæ assistant, prædictaque licentia pro die, et hora certa, et in scriptis concedatur, in librisque cancellariæ ejusdem ordinarii adnotetur. Quod si prædicti locorum ordinarii, per plures vices, vel in ulteriori gradu conjunctis, aut aliter, quam servata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentioni sanctissimi Domini nostri, et sacre congregat. transgressores, iudiciumque reformident: regulares autem penes in supradicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuerint, eo ipso se noverint esse addictos, et arbitrio sac. cong. severius puniendos. Romæ xii Kalend. Decemb. 1623. » Vide tamen infra, numer. 19, ubi videtur permissum episcopis, ut talem licentiam regularibus concedere possint.

(16. Regulares absque legitima facultate alloquentes moniales, aut alias personas inter clausuram degentes, etiam ab episcopi jurisdictione exemptas, et ipsis regularibus subjectas, peccant mortaliter, quamvis alloquantur per solum quadrantem horæ cum dimidio, horologio arenario mensuratum, seu per quodcumque modicum temporis spatium, et transgressores possunt ab ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis pœnis, ut expresse declaravit sacra congreg. Concil. approbante Clemente IX, ut infra:

(17. « Die 11 Maii 1669 sacra congreg. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum habita notitia, quod nonnulli regulares absque licentia crates monasteriorum monialium adire et frequentare non dubitent, prætendentes non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, moniales, aliasque personas in clausura existentes alloqui; et hanc opinionem, tanquam tutam affirmant, disseminant, et forsitan etiam scriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, et scandala confuentes, ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improban, rejiciens ac damnans declaravit, regulares cujuscunque ordinis, militiæ, societatis, congregationis et instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium, quamvis ab ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipsis regularibus subjecta, vel alias speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcum-

que modicum temporis spatium, cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque contra regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis pœnis, posse ab ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri. Et die 7 Junii ejusdem anni, facta relatione sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari et servari jussit.

« A. card. CELSUS, præfectus.

« Loco † sigilli.

« S. BRANCACIUS, Archiep. Adrianopolis, secr. »

(18. Regulares sine legitima licentia alloquentes moniales, seu alias intra clausuram degentes peccant mortaliter, etiam si alloquantur ob bonum finem, ut expresse declaravit sac. congregatio Concilii, ut infra:

« Spolemana, Accessus ad monasteria.

(19. « Etsi sacra congreg. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini Interpretum, sub die 11 Maii 1669, aperte declaraverit regulares, qui ad monasteria monialium absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, hancque declarationem sanctissimus dominus approbaverit, ac typis dari servarique jusserit; quia tamen nonnulli sunt, qui declarationem hujusmodi perperam interpretantes, verumque sensum subvertentes, varia confingendo sophismata, asserunt, accedentes ad bonum finem non peccare mortaliter, et declarationem præfatam non obligare sub mortali contentum, ad omnem tollendam dubietatem resolvendum:

« Primo. An regulares accedentes ad colloquendum cum monialibus sine licentia episcopi peccant mortaliter? »

« Secundo. An peccant mortaliter saltem stante d. declaratione sac. congreg. Conc. cum approbatione Sanctissimi? »

« Die 26 Novembris 1672 ead. sacra congreg. ad utrumque respondit affirmative, etiam ex rationabili causa, quando non adest licentia, etc. »

P. card. DE ALTERIIS, præfectus.

« Loco † sigilli.

« S. archiep. Brancasius episc. Viterb., secr. »

(20. Regulares missi ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt censuras et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum questionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materia ipsius concionis, ut expresse declaravit ead. sac. congreg. Concilii, ut infra.

(21. Edita vix lege, statim illam eludere malitia excogitat; non ita pridem emanavit generale decretum arctissime prohibens

colloquia regularium cum monialibus, quando jam super eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæque nunc Bergomi suboriuntur, pro quarum resolutione supplicat confessorii monialium quaerendo:

« Primo. An regularibus missis ad crates monialium pro munere prædicationis obeundo prohibendum sit sub peccato mortali, censuris et pœnis, etc., immediate post cum ipsis monialibus absque expressa licentia ad colloquendum immiscere sermones cum questionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materiis ipsius concionis? »

« Secundo. An talis prohibitio intelligatur tam de colloquutione cum aliquibus monialium, quam cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediate post concionem? »

Die 21 Maii 1678, sac. congreg. eminentissimorum S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum ad utrumque respondit affirmative. Et ad id facit novissima constitutio Clementis XII, incipiens *Romanus Pontifex*: in qua revocat diversas facultates a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oraculum, vel rescripta concessas; et tertia decima revocata est sequens. « XIII. Facultas regularibus alloquendi moniales etiam consanguineas, aliasque personas intra clausuram degentes, absque peculiari superiorum, ad quos quomodocunque spectat, licentia ». Unde caveant regulares ne sine tali licentia, moniales aliasque personas intra clausuram degentes alloquantur: cum prædictus Summus Pontifex inter alia id prohibeat « sub pœna excommunicationis, ac privationis officiorum, dignitatum, ac quorumvis beneficiorum obtentorum, » vocis activæ, et passivæ, necnon inhabilitatis ad audiendas confessiones, et ad officia, dignitates et beneficia hujusmodi in futurum obtinenda, ipso facto absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda, a quo non nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo « constituti, absolutionis, dispensationis, » seu rehabilitationis beneficium valeant « obtinere. » Sunt præcisa verba dictæ constitutionis, a nobis per extensum allatæ sub verb. ORACULA VIVÆ VOCIS.

(22. Superiores regulares et confessorii monialium non egent licentia ordinarii ad alloquendas moniales suæ curæ commissas; isti enim expresse excipiuntur in eit. decretis editis jussu Sixti V et Urbani VIII, ibi: « Superiore, cui monasterii, seu domus cura incumbit, visitatore, vel visitatoribus, confessorioque ordinario, et extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis; » et declaravit sac. congreg. Episc. in *Mediolanen.* 24 Novembr. 1592, ubi rescripsit commissario apostolice observanti: « Che il soprascritto decreto (cioè fatto sotto Sisto V.) non comprende il ministro delle provincie, nè gli altri superiori per quei monasteri, che stanno sotto il governo, e cura loro ». (23. Et in *Caputaquen.* 27 Se-

ptembr. 1644, rescribens episcopo, ut publicatum edictum reformaret, ut infra: « Essendosi doluto appresso la S. C. il ministro provinciale delli Osservanti di cotesta provincia di principato, che V. S. abbia con suo editto particolare prohibito sotto pena di scomunica riservata a se medesima, che nessuna persona secolare, e regolare, ancorchè sia confessore, o superiore del monastero di Gioja (soggetto alla detta religione delli Osservanti) o altro ministro, o operario necessario, possa andare a parlare alle monache, ed entrar in clausura, eziandio, per amministrare li sacramenti, o in altri casi di necessità senza sua licenza: questi EE. miei signori mi hanno ordinato di scriverle, che se bene gli ordinari dei luoghi possono sottoscrivere le licenze di parlar alle monache, ed entrar in clausura de' monasteri anco sogetti a' regolari, ancorchè per il passato siano state solito sottoscrivere da' regolari solamente, come pretende esso ministro, ciò si deve fare congiuntamente con l'istesso superiore regolare, e non s'intenda delli confessori, o superiori delli conventi de' frati, che han cura del monastero; perchè, come potrà vedere da se stassa nel decreto stampato (et est verisimile eidem fuisse transmissum illud sub Sixto, vel Urbano) che se li manda qui aggiunto, detti superiori, e confessori sono eccettuati nella proibizione fatta dalla sac. congreg. sopra l'accesso de' regolari a monasteri di monache: onde V. S. potrà riformare il suo editto in questa conformità, per non darli occasione di giusto richiamo, che così la sacra congreg. m'ha commesso di significarle, e Dio la prosperi. Il card. di S. Onofrio. »

(24. Et hæc procedunt, tam de superiore provinciali, quam locali, cui cura monasterii incumbit, ut clare inferitur ex verbis decreti in d. *Caputaquen.*, ibi: « O superiori delli conventi de' Frati, che han cura del monastero »; et ex verbis decreti in d. *Mediolan.* ibi: Non comprende il ministro delle provincie, ne gli altri superiori per quei monasteri, che stanno sotto il governo, e cura loro ».

(25. De vicario autem conventus eadem sac. congregatio per episcopum Ripanum consulta sub die 1 Septembris 1617 declaravit expresse: « Vicarium fratrum absque Apostolicæ Sedis licentia moniales alloquentem in pœnas in decreto generali contentas incidere, dummodo idem vicarius in prioris absentia ejusdem prioris officii munus non obeat. » (26. Sic refert Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 44, num. 265. Ubi addit, quod præfatum decretum locum non habet in Gallia, ubi moniales clausuram non observant, ac proinde fratres alloquentes in eo regno moniales extra claustra pœnas non incurrunt, ut ead. sac. congregat. declaravit, et rescripsit generali Capucinorum sub die 15 Martii 1594.

(27. Sub decretis, quibus prohibetur regularibus accessus ad monasteria, comprehenduntur etiam equites Melitenses, ulpote